MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80774-15

AUTHOR:
FORBERG, MARTIN

TITLE:
DE SALUTANDI FORMULIS PLAUTIS ET TERENTIANIS

PLACE:
WEIDAE, THURINGORUM

DATE:
1913

Master Negative #

92-80774-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG92-B39936          Acquisitions     NYCG-NEH
FIN ID NYCG92-B39936 - Record 1 of 1 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B39936            RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:1    AD:07-22-92
  CC:9665  BLT:am      DCF:    CSC:u    MOD:    SNR:      ATC:       UD:07-22-92
  CP:gw     L:lat      INT:    GPC:     BIO:b   FIC:0     CON:
  PC:s      PD:1913/           REP:     CPI:0   FSI:0     ILC:       II:0
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:         COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Forberg, Martin.
  245 10   De salutandi formulis Plautis et Terentianis‡h[microform].
  260      Weidae, Thuringorum :‡bTomas et Hubert,‡c1913.
  300      48 p. ;‡c24 cm.
  500      Vita.
  502      Inaug.-Diss. -- Leipzig.
  600 10   Plautus, Titue Maccius.
  600 20   Terentius Afer, Publius
  650  0   Salutations
  LDG      RLIN
  QD       07-22-92
```

Restrictions on ___________

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 6-3-93   INITIALS MGY

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE SALUTANDI FORMULIS PLAUTINIS ET TERENTIANIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

MARTINUS FORBERG

WEIDAE THURINGORUM
TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT
MCMXIII

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

Heinze et **Bethe.**

Lipsiae, d. I. m. Aug. MCMXIII.

Le Blanc, procancellarius.

PATRIS MANIBUS, MATRIS AMORI
SACRUM

Tabula argumenti.

Praefatio.

De salutandi formulis Plautinis Terentianisque, quoniam data opera nondum, quantum scio, actum est, hac dissertatione disputare mihi proposui, cum spes sit et Romanorum morem hac in re usitatum planius cognitum iri, unde vitae cotidianae imago aliquantulum illustretur, et ex discrepantia, quae inter duos illos poetas exstat, de utriusque proprietate scribendi aliquid addisci posse. Itaque formulas illas primum interpretatus sum, deinde Graecas comparavi, quae in comoediis occurrunt, postremo de gestibus egi.

Caput I.

De formulis salutandi.

§ 1. „salve."

„Salve" vel „salvos sis" saepe legimus cum simplici adlocutione coniunctum. Haec est salutatio usitata et cotidiana. Cf. Stich. 239] Gelasime, salve. Pers. 579] salvos sis, adulescens. Similiter Curc. 234, 414, 455, Rud. 103, 336, 416, 1303, Epid. 649, Cas. 168, 540, Truc. 358, Mil. 1315, Most. 746, Poen. 751, 858, 1307, Bacch. 536, 587, 1106, Merc. 283, Asin. 619, 623, 911, Capt. 138, 1009, Men. 278, 910.

In universum dicendum est „salve" varie adhiberi posse, prout additamentis, si quae leguntur, blandis aut incommodis aut ironicis salutationi sensus proprius attribuitur. Qua ratione salutetur, singula verba, quae huic „salve" apposita sunt, statim nobis produnt inspicientibus locos hos: Poen. 1259, Cas. 724, Mil. 1037, 1382, Bacch. 170, 775, Cist. 321, Curc. 392, Stich. 649, Rud. 310, Merc. 830, Pers. 204.

Multo blandius salutatur, si simplici adlocutioni pronomen „mi" adiungitur. Quod apud Plautum nunquam cum nomine coniungi docent exempla haec: Stich. 90] salve, mi pater. Rud. 1173] filia mea, salve. Item Curc. 657, Poen. 1076, 1158, Merc. 809, 947, Capt. 1006, Men. 182, 1031, 1125.

Voce „multum" adiecta magnifice salutatur locis his: Pers. 739] salve multum, mi pater. Virgo *παθητικῶς* salutem dicit patri, quem cupidissime exspectavit. Item Men. 775 matrona patrem cum desiderio exspectatum magnifice salutat. Pseud. 270 Ballio *παρατραγῳδῶν* verbis utitur: salve multum, serve Athenis pessume.

Interiectione antecedente animi affectus eius qui salutat exprimitur. Curc. 305] O mea Opportunitas, Curculio exoptate, salve. Most. 339] Eu, Philolaches, salve, amicissume mi omnium hominum. Cf. Rud. 358, 1052, Stich. 583, Curc. 639, Poen. 1039, 1050, 1127, Bacch. 182, Men. 137, 1065, Trin. 48, 1072, 1163, 1180.

Denique id „salve" vel „salvos sis", quod nullo verbo adiuncto legitur, quo sensu adhibeatur, quaerendum est.

Epid. 547] Per. Compellabo. Phil. Orationis aciem contra conferam. Per. Salva sis. Phil. Salutem accipio mi et meis.

Philippa irascitur Periphani, quod se natamque perfide deseruerit. „Orationis aciem contra eum conferre" vult. Sed hic non habet, quod suscenseat. Quem cum se illam deseruisse pudere videatur, appropinquare cunctatur. Praeterea non bene scit, sitne revera ea, quae filiam ei peperit. Itaque eum non multum locutum animo cunctante salutare „salva sis" bene intellegimus. Quidquam incommodum tamen huic salutationi nequaquam inest.

Rud. 851] Ples. Duc me ad lenonem recta. ubi illic est homo? Labr. Salve. Ples. Salutem nil moror. opta ocius: rapi te obtorto collo mavis an trahi?

Plesidippus accurrit, ut rationem reposcat a lenone, qui, etsi iam pecuniam ab adulescente pro amata eius acceperat, tamen puellas abducere ausus est. Labrax, ubi illum conspexit, timore terretur vs. 844 „nunc pol ego perii, Plesidippus eccum adest". Ne statim in ius vocetur timet atque se innocentem esse affirmat. Quem non ex animo salutare apparet. Neque tamen incommode salutem dicit, cum illum placare et sibi reconciliare studeat.

Epid. 3] Th. Oh, Epidicumne ego conspicor? Ep. Satis recte oculis uteris. Th. Salve. Ep. Di dent quae velis.

Thesprio primum indignatus Epidicum se properantem pallio reprehendere verbo „salve" minus blande neque tamen incommode salutat.

Operae non pretium est, pertractare omnes qui restant locos: Epid. 558, Stich. 316, Curc. 121, Truc. 123, 260.

Apparet igitur eum, qui illo solo „salve“ vel „salvos sis“ salutat, non incommode neque tamen blande vel ex animo vel cum animi laetitia salutem dicere.

Apud Terentium quoque cotidiana salutatio est „salve“ cum adlocutione coniunctum. Hec. 855] salve, Pamphile. Cf. Hec. 731, Eun. 560, 850, Heaut. 427, And. 267, 906.

Multo blandius salutatur, si adlocutioni pronomen „mi“ adicitur. Hec. 455] salve, mi pater. Item Phorm. 254. Terentius uno quoque loco hoc „mi“ cum nomine coniungit Eun. 455] salve, mi Thraso. Quod apud Plautum nunquam invenimus.

Hec. 82] Philotis, salve multum. Ut supra apud Plautum ita hic quoque Parmeno servus hac salutatione Philotem meretricem Athenas redeuntem magnifice salutat.

Interiectione antecedente animi affectus eius qui salutem dicit exprimitur. Cf. Adelph. 883] o Syre noster, salve. Cf. Phorm. 609, And. 802, 846.

„Salve“ sine adlocutione usurpatum minus blandum est quam salutatio adlocutione aucta. Cf. And. 318, Eun. 304, 1061, Adelph. 890.

Apud Menandrum atque in aliis novae comoediae fragmentis cotidiana salutatio invenitur *Σαμία* 81] *χαῖρε, δέσποτα. Σαμία* 312] *χαῖρε σύ.* Cf. Kock frg. II, p. 402, 297; Kock frg. III, p. 96, 329.

Formulis Plautinis, quae pronomine „mi“ adiecto blandiores factae sunt, respondent haec exempla: *Ἐπιτρέποντες* 439] *χαῖρε φιλτάτη γύναι. Κιθαριστής* 73] *χαῖρε πάππα φίλτατε.*

Cum magnifica salutatione huius rationis Poen. 1050 „o mi hospes, salve multum“ conferre possumus *Γεωργός* 41] *ὦ χαῖρε πολλὰ Μυρρίνη.*

Denique apud Aristophanem quoque similes invenimus formulas.

Cotidiana salutatio legitur Acharn. 176] *χαῖρ' Ἀμφίθεε.* Lysistr. 6] *χαῖρ' ὦ Καλονίκη.* Cf. Ran. 184, 272, Eccl. 477.

Illi „salve“ sine adlocutione adhibito respondet Pax 149] *ἀλλὰ χαίρετε.*

Cum magnifica salutatione „Philotis, salve multum“ (Hec. 82) conferre possumus Ran. 164] *καὶ χαῖρε πόλλ' ὦδελφέ.*

§ 2. „saluto.“

Pseud. 453] Pseud. Itur ad te, Pseudole. orationem tibi para advorsum senem. erum saluto primum, ut aequomst; postea, si quid superfit, vicinos impertio.

„Salve“ in hoc verborum contextu adhiberi non poterat. Ceterum Pseudolus non simplicibus verbis utitur, sed cum dignitate et gravitate loquitur. Cf. vs. 458: „Statum vide hominis, Callipho, quam basilicum!“

Item Rud. 1055 (iterum te saluto) „salve“ minime usurpari poterat.

Cist. 723] Ha. Mi homo et mea mulier, vos saluto. Phan. Et nos te. sed quid quaeritas?

Halisca amisit cistellam, quam ante aedes accepit et in manibus tenuit. 671 sqq. lamentatur, quoniam ne poenas det timet. Ipsos spectatores orat, ut indicium faciant sibique dicant, „quis eam apstulerit quisve sustulerit et utrum hac an illac iter institerit“ (vs. 679). Cum Phanostratam Lampadionemque conspexerit, ex his quoque quaerit, num forte sciant, ubi sit, quod perdidit. Ambos simul blandissime adloqui et salutare vult. Itaque non bene verbo „salve“ salutem dicere potest. Praeterea usitatum „salve“ minime in hoc proprium ethos quadraret.

Poen. 621 haec formula sollemniter adhibetur: „Aetoli cives te salutamus, Lyce, quamquam hanc salutem ferimus inviti tibi et quamquam bene volumus leniter lenonibus“.

Curc. 147] Ph. Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens, vos amo, vos volo, vos peto atque opsecro, gerite amanti mihi morem, amoenissumi, fite caussa mea ludii barbari, sussilite, opsecro, et mittite istanc foras quae mihi misero amanti ebibit sanguinem.

Phaedromus *παρακλαυσιθύρῳ* suo pessulos adloquitur atque salutat. Necessarium est salutationem quadrare in adulescentis animi affectum. Cui loco proprium ethos subesse nemo neget.

Nonnullis igitur locis pro „saluto“ usitatum „salve“ omnino non adhiberi poterat, nonnullis proprium ethos suberat. Haec salutatio nequaquam cotidiana est. Apud Plautum raro invenitur, apud Terentium atque in exemplis Graecis omnino desideratur.

§ 3. „iubeo te salvere".

Truc. 575] Cyam .... attat! eccam adest propinque. credo audisse haec me loqui. pallida est, ut peperit puerum. adloquar quasi nesciam. iubeo vos salvere. Ph. Et nos te. Geta, quid agis? ut vales?

Cyamus a Diniarcho iussus est, ad Phronesium amatam dona ferre et quinque argenti minas. Iratus est, quod haec meretrix erum miserum sua blanditia intulit in pauperiem atque bonis, luce, honore, amicis privavit (cf. vss. 572sq.). Attamen iram suam abdere studet. Vs. 577 salutem dicit, ut decet: „iubeo vos salvere". Quam salutationem nos ita recte interpretari, ex blanda quoque Phronesii resalutatione cognoscere possumus.

Curc. 560] Th. Iusseram salvere te. Capp. Therapontigone Platagidore, salve; salvos quom advenis in Epidaurum, hic hodie apud me — numquam delinges salem.

Therapontigonus miles a Cappadoce lenone Planesium puellam emerat, hanc tamen ei permiserat, quamdiu abesset. Nunc ex Caria redit. Quoniam scena antecedente intellexit se argento apud Lyconem argentarium deposito defraudatum esse, quam celerrime a Cappadoce virginem reposcit. Se rursus deceptum esse hoc loco, quo salutem dicit, nondum scit. Itaque propere quidem, attamen, ut aequum est, salutat: „iusseram salvere te". Hoc „iusseram" mirum est, nisi hoc loco non invenitur. Difficile est explicatu, quid sibi velit. Mihi quidem significare videtur: iam pridem te salutare et convenire volui.

Asin. 296 hac formula magnifice salutatur: iubeo te salvere voce summa, quoad vires valent.

Cas. 1 prologus sollemniter incipit verbis: salvere iubeo spectatores optumos.

Rud. 263] Pa. Iubemus te salvere, mater. Pt. Salvete, puellae. sed unde vos ire cum uvida veste dicam, opsecro, tam maestiter vestitas?

Puellae ambae e mari eiectae cum uvida veste fano deae appropinquant. Opum egentes genua Ptolemocratiae amplecti volunt. Ambas multa cum veneratione salutem dicere vel adlocutio „mater" docet.

Cas. 967] Ly. Perii. fusti defloccabit iam illic homo lumbos meos. hac iter faciundumst, nam illac lumbifragiumst obviam. Cleost. Iubeo te salvere, amator.

Lysidamus infestis digitis laceratus in scaenam prodit nocte nuptiali acta cum Chalino servo Casinae veste induto. Quem uxor cum ludibrio et ironice salutat: „iubeo te salvere, amator."

Most. 568 Tranio servus Misargyridi danistae, qui servum erumque sibi neque faenus neque sortem argenti dare aegre fert, salutem dicit, ut decet: „salvere iubeo te, Misargyrides, bene."

Apud Terentium hanc invenimus salutationem And. 533] Si. Iubeo Chremetem . . . Ch. O te ipsum quaerebam. Si. Et ego te: optato advenis.

Simo salutem dicit: „iubeo Chremetem . ." Chremes non modo non resalutat, vero etiam Simonem salutantem interrumpit, cum dicat: „o te ipsum quaerebam". Simo salutem non reddi minime aegre fert, sed blande pergit: „et ego te: optato advenis". Hoc loco apparet Simonem ex animo et familiariter salutem dicere.

Eadem salutatio voce „plurimum" adiecta etiam blandior facta est Adelph. 460] De. Adibo. salvere Hegionem plurimum iubeo. He. Oh, te quaerebam ipsum: salve, Demea.

Qua in salutatione adhibenda duo illi poetae inter se differre videntur. Quam cum Plautus ita usurpet, ut nomen, si memorare vult, iuxta formulam adponat (Most. 568 salvere iubeo te, Misargyrides, bene), Terentius pro verbo „te" nomen ipsum inserit (Adelph. 460 salvere Hegionem plurimum iubeo). Qua ratione formulam apud Terentium familiariorem factam esse locis, quibus legitur, conexu veri fit simile.

Exempla Graeca salutationem similem non praebent.

§ 4. „salvom te venire gaudeo".

Stich. 583] Gel. . . o sperate Pamphilippe, o spes mea, o mea vita, o mea voluptas, salve. salvom gaudeo peregre te in patriam rediisse.

Vera atque propria salutatio est „. . o mea voluptas, salve". Cui adiungitur formula „salvom gaudeo peregre te in patriam rediisse". Quae plerumque verae salutationi apposita est.

Cf. Most. 448, 1128, Bacch. 456, Truc. 504, Curc. 306, 561, Epid. 7, 128, 395, Trin. 1073, 1097, Poen. 686.

Formulam „salvom te venire gaudeo“ solam adhiberi neque cum alia salutatione cohaerere non invenimus nisi locis Mil. 897, Most. 805, de quibus deinde agemus. Milite 897 excepto his verbis is salutatur, qui peregre redit. Qui cum blandius appellari soleat, salutationi vel resalutationi formula adicitur, qua alterum de alterius reditu gaudere exprimitur.

Non minus blande salutatur Mil. 897] venire salvom gaudeo, lepide hercle ornatus incedis.

Etsi hic formula nostra cum alia salutatione non conexa est, tamen non sola usurpatur, sed cum verbis quae sequuntur arte cohaeret. Palaestrio convenit Periplectomenum et puellas, quae vestem mutaverunt. In eo est, ut quomodo rem aggrediantur et militem ludificentur denuo inter se colloquantur.

Nunc accedamus ad Most. 804] Tr. Senex illic est. em, tibi adduxi hominem. Si. Salvom te advenisse peregre gaudeo, Theopropides. Th. Dei te ament. Si. Inspicere te aedis has velle aiebat mihi. Th. Nisi tibi est incommodum. Si. Immo commodum. i intro atque inspice.

Tranio servus a Simone petivit, ut Theopropidem aedes inspicere sineret. Erus hunc domum in exemplum assumere velle retur. Itaque illam monstrari iubet. Hoc uno loco formula „salvom te advenisse peregre gaudeo“ sola neque cum alia salutatione conexa invenitur. Qua ratione comitatem paulo imminui consentaneum est. Ita apparet hic non tam blande quam locis hac paragrapho adhuc allatis salutem dici. Neque tamen satis blande salutari negari potest.

Formula nostra his locis Terentianis cum alia salutatione cohaeret: Heaut. 407, Phorm. 255, 286, 610, Hec. 353.

Attamen hic Terentius a Plauto differt. Cum apud hunc formula facta sit, eadem verba apud illum, quid proprio sensu sibi velint, etiam in se habent. Unicuique locos quos nominavi Terentianos inspicienti persuadebitur verba nostra hic proprio sensu intellegi velle i. e. alterum dicere velle se revera de adventu alterius gaudere.

Apud eundem duos invenimus locos, quibus haec verba sola neque cum vera salutatione conexa leguntur:

Adelph. 78] Micio. et certe is est. Nescio quid tristem video: credo, iam ut solet iurgabit. salvom te advenire, Demea, gaudemus. De. Ehem, opportune: te ipsum quaerito.

Micio Demeam rusticum causam iurgii iam rursus illaturum suspicatur: „credo, iam ut solet iurgabit.“ Itaque ille verba nostra sola adhibens non tam blande salutem dicit, quam salutasset, nisi quidquam mali animo praesagivisset.

Eun. 976] Pa. Quis homost? ehem, salvom te advenire, ere, gaudeo. Se. Quem praestolare? Pa. Perii: lingua haeret metu. Se. Quid est quod trepidas? satine salve? dic mihi. Pa. Ere, primum te arbitrari id quod res est velim: Quidquid huius factumst, culpa non factumst mea.

Parmeno servus, quoniam ne poenas det timet, erum non cum animi laetitia salutare potest. Ita verbis nostris utitur solis neque ea cum usitato „salve“ coniungit. Quod faceret, si multo blandius salutem dicere posset.

Itaque dicendum est apud Terentium quoque comitatem, qua salutatur, imminui, si verba „salvom te venire gaudeo“ a salutante sola adhibentur neque cum alia salutatione coniunguntur.

In exemplis Graecis formula similis desideratur.

§ 5. De tertiae personae salutatione.

Consideremus primum nonnullas formulas in epistula adhibitas:

Pseud. 41] Ps. „Phoenicium Calidoro amatori suo per ceram et lignum litterasque interpretes salutem mittit et salutem abs te expetit, lacrumans titubanti animo, corde et pectore.“

Pers. 501] Dor. „Salutem dicit Toxilo Timarchides et familiae omni.“

Curc. 429] Lyc. „Miles Lyconi in Epidauro hospiti suo Therapontigonus Platagidorus plurimam salutem dicit.“

Bacch. 734] Mnes. „Mnesilochus salutem dicit suo patri.“

In epistula igitur has invenimus salutationes: Alter alteri salutem mittit et salutem expetit; alter alteri salutem dicit; alter alteri plurimam salutem dicit.

Verba „salutem dicit“ et „plurimam salutem dicit“ usitatas formulas esse, quarum haec illa blandior est, satis constat.

Aliter res se habet Pseud. 41, quo loco verba legimus: „Phoenicium Calidoro salutem mittit et salutem expetit.“ Quod puella scribit ad amatorem. Quem Phoenicium, ut se cito emptu a lenone liberet monet, ne in militis Macedonici manus perveniat. Ita demum bene intellegimus, quid sibi velint verba „salutem mittit et salutem expetit.“ Quae non quadrant nisi hunc in conexum.

Primum igitur tertia persona invenitur, si per litteras salutatur.

Nunc ad eos accedamus locos, quibus tertiae personae salutatio in sermone adhibetur.

Pseud. 982] Sim. Erus meus tibi me salutem multam voluit dicere.

Qui locus notam formulam praebet: „alter alteri multam salutem dicit“. Ita tertia persona quoque invenitur, si per nuntium salus nuntiatur.

Una simul tractemus duos inter se simillimos locos, qui sequuntur:

Truc. 515] Strat. Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam. quom tu recte provenisti quomque es aucta liberis, gratulor, quom mihi tibique magnum peperisti decus.

Amph. 676] Amph. Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam, quam omnium Thebis vir unam esse optimam diiudicat, quamque adeo cives Thebani vero rumiferant probam.

Bellator, qui ex bello redit, παρατραγῳδῶν salutem dicit uxori eamque honorificis verbis prosequitur. Hac igitur salutatione utitur, postquam diu afuit.

Bacch. 241] Chrys . . . adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phrixi, itaque tondebo auro usque ad vivam cutem. servos salutat Nicobulum Chrysalus.

Ita Nicobulo, qui diu afuit, Chrysalus servus salutem dicit.

Trin. 1151] Ch. Quis hic est, qui huc ad nos incedit? Lys. Charmidem socerum suom Lysiteles salutat.

Lysiteles filiam Charmidis in matrimonium sibi petit a Lesbonico eius filio, cum pater ipse absit. Paulo post hic ex Asia redit atque, dum cum Callicle amico, qui rem familiarem eius administravit, colloquitur, Lysitelem virginem petere certior fit. Subito hic accedit atque apud Charmidem se introducit generum, cum his verbis salutet: „Charmidem socerum suom Lysiteles salutat“.

Poen. 683] Lyc. It ad me lucrum. Coll. Illud quidem quorsum asinus caedit calcibus. Lyc. Blande hominem compellabo. hospes hospitem salutat.

Lycus leno se magnos quaestus praedasque a Collybisco facturum esse sperat. Itaque hunc blande compellat et apud eum se introducit verbis: „hospes hospitem salutat“.

Mil. 898] Per. Bene opportuneque obviam es, Palaestrio. em tibi adsunt, quas me iussisti adducere et quo ornatu. Pal. eu, noster esto. Palaestrio Acroteleutium salutat.

Palaestrio, verus doli auctor, qui Acroteleutium nondum usquam vidit neque cognovit, apud hanc se introducit cum dicat: „Palaestrio Acroteleutium salutat.“

Haec igitur tertiae personae salutatio adhibetur aut ab eo, qui se apud aliquem introducit, aut ab eo, qui alteri salutem dicit, postquam ipse vel alter diu afuit.

Deinde etiam tres loci Plautini tractandi sunt, quibus pro voce „salutat“ alia verba adhibentur ita ut rarum genus dicendi exsistat.

Epid. 126] Ep. aggrediar hominem. advenientem peregre erum Stratippoclem impertit salute servos Epidicus.

Quae formula hic eodem sensu adhibetur quo simplex „alter alterum salutat“. Servus ero, qui diu afuit et peregre redit, his verbis salutem dicit. Epidicus sibi contigisse gaudet, ut, quod Stratippocles ei mandaverat, assequeretur. Ei enim puellam adducit, quam hic toto ex animo possidere studet.

Trin. 435] Phil. Erum atque servom plurumum Philto iubet salvere, Lesbonicum et Stasimum.

Philto venit, ut pro filio sororem Lesbonici uxorem poscat (cf. vss. 442 sqq.). Verba hoc loco nimia arte composita sunt. Formula includitur nominibus eorum, qui salutantur, cum media in enuntiatione is, qui salutem dicit, nominetur. Philto laeto animo elatus salutatione hoc momento temporis digna uti vult.

Pseud. 1293] Ps. Vir malus viro optumo obviam it. Sim. Di te ament, Pseudole.

„Vir malus“ Pseudolus potus et coronatus Simonem „virum optumum“ de pacto admonet, ut pecuniam accipiat, quam ille se daturum promisit. Quoniam formula „di te ament“ non salutari, sed solum resalutari potest, verba „vir malus viro optumo obviam it“ pro salutatione adhiberi apparet. Quae non quadrant nisi hunc in conexum.

Salutatio tertiae personae apud Terentium semel invenitur Eun. 267] Gn. Sed Parmenonem ante ostium hoc astare tristem video, rivalis servom: salva res est. ni mirum homines frigent. Nebulonem hunc certumst ludere. Pa. Hisce hoc munere arbitrantur suam Thaidem esse. Gn. Plurima salute Parmenonem summum suom impertit Gnatho.

Ut versibus 267 sqq. demonstratur, Gnatho Parmenonem ludificari vult. Parasitus servum ironice salutat verbis observantiae plenis atque huic minime aptis.

Exemplaria Graeca salutationem similem non praebent.

§ 6. „quid agis?“ „quid agitur?“ „quid fit?“

Primum laudo Hor. sat. I, 9, 3, cum de formula nostra plurimum doceat:

accurrit quidam notus mihi nomine tantum
arreptaque manu „quid agis, dulcissime rerum?“
„suaviter, ut nunc est“ inquam, „et cupio omnia quae vis“.

Vide, quod Heinze in editione de his versibus dicit. Quo loco apparet „quid agis?“ familiari sensu adhiberi. Quam ad interrogationem primum, ut exspectamus, respondetur „suaviter, ut nunc est“, deinde, ut aequum est, gratiae aguntur „cupio omnia quae vis“. Videbimus similibus verbis apud Plautum gratias agi et resalutari solere. Cf. Poen. 1055] di dent tibi omnes quae velis.

Videamus, qua ratione formula nostra apud Plautum usurpetur.

Rud. 1052 legimus „salve, Gripe. quid fit?“ Quo loco salutationi adiungitur „quid fit?“ Quae verba si sola inveniuntur, vera atque propria salutatio deest. Qua ratione oritur formula familiaris. Ad quam, si etiam percipitur ut interrogatio, varie responderi potest: Respondetur blanda interrogatione Stich. 528] Pam. Quid agitur, Epignome? Ep. Quid tu? vel blandis verbis Most. 719] Sim. Quid agis? Tr. Hominem optumum teneo.

Nonnullis locis verba „quid agis?“ proprio sensu „quid facis?“ intellegi volunt eodemque sensu respondetur. Cas. 577] Ly. Quid agis, mea festivitas? Cl. Te ecastor praestolabar.

Saepe formula nostra sensu interrogationis intellegi desita est. His locis responsum omnino non datur. Cf. Merc. 366] Ch. Quid fit, pater? De. Unde incedis, quid festinas, gnate mi? Merc. 963] Ly. Quid agis? quid fit, Eutyche? Eu. Optuma opportunitate ambo advenistis.

Qua formula familiari servum cum patrono collocutum non uti consentaneum est. Tamen Mil. 170 Palaestrio servus Periplectomenum ita salutat. Sed hoc maxime proprium est rationis, quae hic inter patronum servumque intercedit.

Haec formula Plauti praecipue propria est. Uno solo loco, quo invenitur, Terentiano formula nostra arte cum alia interrogatione cohaeret: Adelph. 768] Sy. quid fit? quid tu es tristis? Quod cum pronuntietur, nullus sonus in formula nostra ponitur.

In exemplis Graecis formula, quae huic respondeat, deest.

§ 7. „valuistin usque?“

Epid. 17 legimus: Ep. Quid agis? perpetuen valuisti? Th. Varie.

Qui locus docet „perpetuen valuisti?“ formulam familiarem esse eiusdem modi atque „quid agis?“ Quae ab eis, qui se conveniunt, adhiberi solet. Neque tamen haec formula salutandi appellari potest. Nam loco nostro formulis iam antea salutatum est vs. 6] Th. Salve. Ep. Di dent quae velis.

Praeterea ad hoc „valuistin usque?“ non resalutari solet, sed solum responderi: hoc loco „varie“. Simile responsum datur Pers. 23 „hau probe“, Stich. 467 „sustentatumst sedulo“, Merc. 387 „perpetuo recte“.

Etiam haec formula Plauti propria est. Apud Terentium et in exemplis Graecis omnino desideratur.

Caput II.

De formulis resalutandi.

§ 1. „salve“ et „salvos sis“ sine adlocutione adhibita.

Rud. 100] Daem. Luto usust multo, multam terram confode. villam integundam intellego totam mihi, nam nunc perlucet ea quam cribrum crebrius. Ples. Pater salveto, amboque adeo. Daem. Salvos sis.

In eo est, ut dominus servo mandata det. Plesidippus accedit atque primum summa observantia Daemoni salutem dicit, deinde ambobus, etiam servo. Erus nihil respondet nisi „salvos sis“. Parce verbis utitur, cum Sceparnio aspere in adulescentem peregrinum invehatur. Demum vs. 117 dominus servum tacere iubet et quaerit „quid opust, adulescens?“ Hoc loco ei quoque Sceparnio verbis rusticioribus uti videtur, quam ut eum ita se diutius gerere patiatur. Primum autem erus facile ut hoc fiat permittit. Quod hac re explicatur, quod Daemones stomachi plenus adulescentis aditum sermonemque defugere vult et breviter resalutat. „Salvos sis“ cum Plesidippi salutandi formula observantiae plena collatum blanda resalutatio appellari nequit. Mihi quidem senex his verbis adulescentem repellere velle videtur.

Nunc de re critica huius loci me aliquid addere opus est. Leo legit vs. 103 „salvos sis“. Quae verba bene quadrare hunc in conexum supra vidimus.

Sed Schoellius scribere vult „et tu salvos“. Haud scio an „salvos sis“ nimis incommodum esse et pro hoc usitatam salutationem ponendam esse censuerit. Sed iam vidimus, quomodo senem parce verbis uti et breviter resalutare explicetur. Itaque commoveri non possumus, ut Schoellium sequamur. Accedit autem quod hae solae resalutandi formulae adhiberi solent: „et tu salve, Plesidippe“, „et tu, Plesidippe“, „et tu salve“, „et tu“. Nusquam legimus „et tu salvos sis“ vel illud Schoellii „et tu salvos“, neque apud Plautum neque apud Terentium.

Quod Leo vs. 103 servum quoque resalutare censet, infra hac de re agemus.

Curc. 305] Ph. O mea Opportunitas, Curculio exoptate, salve. Curc. Salve. Phaed. Salvom gaudeo te advenire. cedo tuam mi dexteram. ubi sunt spes meae? eloquere, obsecro hercle. Curc. Eloquere, te obsecro, ubi sunt meae?

Therapontigonus miles postquam Epidauri a Cappadoce lenone Planesium puellam emit, in Cariam profectus est. Virginem lenoni permisit, pecuniam deposuit apud Lyconem argentarium, qui nemini daret nisi apportanti epistulam anulo militis obsignatam. Interea Phaedromus Planesium amare incipit et redimere studet. Ut sibi pecuniam comparet, Curculionem parasitum in Cariam mittit. Ibi hic cognoscit Therapontigonum, qui potus ei quid sibi cum argentario convenerit narrat. Curculio milite anulo privato ex Caria effugit. Phaedromus erus, ubi parasitum aspexit, salutem dicit vs. 305: „O mea Opportunitas, Curculio exoptate, salve.“ Curculio nihil respondet nisi „salve“. Dominus quid parasitus assecutus sit audire animo exspectat suspenso. Sed ille verum parasitum se praebet. Cum sibi conscius sit se aliquid magnum perfecisse, commoveri non potest, ut ero vehementer et ardenter quaerenti statim respondeat. Primum parta gloria veluti reposito honore frui et praemiis affici vult. Se plane defessum esse simulat, ut primum optime epulari possit. In magnitudinem sui facti non quadrare censet se, qui tantum perfecerit, nunc tam simpliciter et cito referre. Aditum ad se difficilem reddere vult. Itaque primum aspere se gerit atque orari vult, ut quid perfecerit dicat. Hic bene salutationes, quas legimus, conveniunt. Phaedromum vehementi animi affectu salutantem parasitus suo „salve“ breviter repellit.

Bacch. 535] Pist. Certe is est. Men. Is est. Pist. Adibo contra et contollam gradum. salvos sis, Mnesiloche. Mnes. Salve. Pist. Salvos quom peregre advenis, cena detur. Mnes. Non placet mi cena quae bilem movet. Pist. Numquae advenienti aegritudo obiecta est? Mnes. Atque acerruma. Pist. Unde? Mnes. Ab homine quem mi amicum esse arbitratus sum antidhac.

Mnesilochus rediens Pistoclerum Bacchidem amare coepisse audit. Cum duas Bacchides esse nondum sciat, illum amatam a se abalienasse arbitratur gravissimeque eum accusat. Quamquam Pistoclerus blande se gerit et salutat „salvos sis, Mnesi-

loche“, tamen hic breviter respondet „salve“. Ut asperis responsis adversarium laedere studet, ita brevi „salve“ quoque illum repellero velle videtur.

Bacch. 243] Chrys . . servos salutat Nicobulum Chrysalus. Nic. Pro di immortales, Chrysale, ubi mist filius? Chrys. Quin tu salutem primum reddis quam dedi? Nic. Salve. sed ubinamst Mnesilochus?

Erus cum pergraviter ferat, quod de resalutatione admonetur, celeriter et breviter resalutat „salve“ atque rursus filium quaerit. Quo „salve“ aliquid incommodum latere nemo neget.

Bacch. 583] Pist. Quid istuc? quae istaec est pulsatio? quae te mala crux agitat, qui ad istunc modum alieno viris tuas extentes ostio? fores paene exfregisti. quid nunc vis tibi? Par. Adulescens, salve. Pist. Salve. sed quem quaeritas?

Pistoclerus parasitum sibi fores paene exfringere indignatur et aspere in eum invehitur vss. 583sqq. Cum hic, ut decet, salutem dicat, ille, quod iratus est, incommode respondet: „salve. sed quem quaeritas?“

Truc. 355] Phron. Quid tam inficetu's, Lemno adveniens qui tuae non des amicae, Diniarche, savium? Din. Vah, vapulo hercle ego nunc, atque adeo male. Phron. Quo te avortisti? Din. Salva sis, Phronesium. Phron. Salve. hicine hodie cenas, salvos cum advenis?

Phronesium excipit Diniarchum amatorem Lemno redeuntem. Sed hic tantum abest, ut amatam statim toto ex animo salutet artiusque complectatur, ut ianua introire paene vereatur. Puella eum peregre reversum tam infacetum esse neque sibi iam pridem savium dedisse queritur. Denique Diniarchus ei salutem dicit. Vero haec se incommode tractari putat neque, quid hic verbis suis miris (vs. 357) velit, percipit. Ita breviter „salve“ resalutat. Quod etsi non incommode dictum est, tamen dubitari nequit, quin hac resalutatione quaedam animi offensio lateat.

Men. 775] Mat. Ibo advorsum. salve multum, mi pater. Sen. Salva sis. salven advenio? salven accersi iubes? quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit? nescio quid vos velitati estis inter vos duos.

Inter virum et uxorem aliquid iurgii intercessit. Femina patrem, ut se adiuvet, arcessit. Senex accurrit et, etsi filia quid vellet nondum dixit, tamen quid factum sit iam antea suspicatur. Secum locutus vituperat filiam, quod marito obtemperare nolit. Matrona patri blande salutem dicit, cum eum secum facturum seque defensurum esse speret. Senex respondet „salva sis“. Atque etiam magis verbis, quae sequuntur, eum primum minime filiae partibus favere apparet. Ei opprobrio dat, quod rursus discordia orta est. Ita resalutatione quoque filiam repellere velle videtur.

Men. 135] Pen. Heus adulescens, ecqua in istac pars inest praeda mihi? Men. Perii, in insidias deveni. Pen. Immo in praesidium, ne time. M. Quis homo est? P. Ego sum. M. O mea Commoditas, o mea Opportunitas, salve. P. Salve.

Menaechmus se uxorem tandem iurgio ab ianua abegisse gaudet (vs. 127), ad scortum enim iturus est. Subito Peniculus, qui verba eius captavit, ei obviam obsistit vs. 135. Menaechmus primum exhorrescit, deinde, ubi illum cognovit, salutat: „O mea Commoditas, o mea Opportunitas, salve.“ Ille resalutat „salve“. Quod collatum cum blandissima eri salutatione incommodum videtur. Quod quomodo explicandum est? Peniculus dicit vs. 125: „Illic homo se uxori simulat male loqui, loquitur mihi; nam si foris cenat, profecto me, haud uxorem ulciscitur.“ Timet igitur, ne cibo careat. Idem nos docent vss. 141 et 142. Cum Menaechmus dicat vs. 147 „dic hominem lepidissimum esse me“, ille ex eo quaerit: „ubi essuri sumus?“ Nunc quid Peniculi intersit, quid timeat, quid tantopere indignetur non ignoramus. Equidem eundem stomachum indignationemque illo solo „salve“ latere censeo.

Epid. 547] Per. Compellabo. Phil. Orationis aciem contra conferam. Per. Salva sis. Phil. Salutem accipio mi et meis. Per. Quid ceterum? Phil. Salvos sis: quod credidisti reddo.

Philippa, olim gravida ex Periphane, filiam peperit. Hic autem perfide illam deseruit. Insuper nunc nata in manus hostium pervenit. Mater misera quaerit perfidum patrem, ut sibi filiam reposcat. Ex Philippae verbis „orationis aciem contra conferam“ quantopere illi irascatur cognoscimus. Periphanes primus salutem dicit. Illa, cum respondeat „salutem

accipio mi et meis", voce „meis" ad filiam spectat. Denique resalutat „salvos sis: quod credidisti reddo". Qua resalutatione feminae offensae dolor latet.

Truc. 515] Strat. Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam. quom tu recte provenisti quomque es aucta liberis, gratulor, quom mihi tibique magnum peperisti decus. Phron. Salve, qui me interfecisti paene vita et lumine quique mihi magni doloris per voluptatem tuam condidisti in corpus, quo nunc etiam morbo misera sum.

Enuntiatione relativa, quae formulam resalutandi sequitur, hic quoque Phronesium, cum respondeat „salve", tristem resalutare et Stratippoclem repellere demonstratur.

Apud Plautum igitur statuendum est „salve" „salvos sis" in se vim repellendi habere et ab eo adhiberi solere, qui stomachatur vel tristis est vel incommode salutem reddere vult.

Qua cum summa duo loci Plautini pugnare videntur:

Mil. 900] Pal. Palaestrio Acroteleutium salutat. Acr. Quis hic amabo est, qui tam pro nota nominat me? Per. Hic noster architectust. Acr. Salve, architecte. Pal. Salva sis.

Cui salutationi nequaquam quidquam incommodum inest. Palaestrio enim sola hac re, quod iam salutavit, commovetur, ut tam breviter salutem dicat „salva sis".

Item res se habet Rud. 1173] Daem. Filia mea, salve. ego is sum, qui te produxi pater, ego sum Daemones, et mater tua eccam hic intus Daedalis. Pal. Salve, mi pater insperate. Daem. Salve. ut te amplector libens.

Daemones filiam recognoscit eamque amplectitur. Qui cum una salutatione satiari nequeat, rursus salutem dicit voce „salve". Sed sola hac re, quod iam antea salutavit, commovetur, ut nunc tam breviter salutem dicat.

Ita ne his duobus quidem locis labefactari potest, quod supra diximus illud solum „salve" vel „salvos sis" a resalutante adhibitum apud Plautum incommodam resalutandi formulam esse atque vim repellendi in se habere.

Quae resalutatio apud Terentium semel invenitur:

Phorm. 253] De. Phaedriam mei fratris video filium mi ire obviam. Ph. Mi patrue, salve. De. Salve; sed ubist Antipho? Ph. Salvom venire . . De. Credo; hoc responde mihi.

Demipho peregre reversus Antiphontem filium uxorem in matrimonium duxisse audit. Quam ob rem vehementer irascitur (cf. vss. 231 sqq.). Ad Phaedriae salutationem resalutat: „salve; sed ubist Antipho?" A quo rationem reposcere vult. Verba „salvom venire . ." interrumpit, cum dicat: „credo; hoc responde mihi". Dubitari nequit, quin etiam brevi verbo „salve" ira lateat.

Terentius igitur solum „salve" eadem ratione adhibet atque Plautus.

In exemplis Graecis formulam resalutandi, quae huic soli „salve" respondeat, non invenimus.

§ 2. „salve" cum adlocutione coniunctum.

Permulti sunt loci, quibus „salve" cum adlocutione coniungitur. Haec est cotidiana formula resalutandi. Cf. Trin. 1073] salve, Stasime. Bacch. 182] salve, Chrysale. Cf. Mil. 902, Rud. 263, 336, Most. 718.

Ceterum verba huic „salve" apposita quo sensu salutetur statim produnt locis his: Pers. 791] Dordale, homo lepidissume, salve. Asin. 297] gymnasium flagri, salveto.

Si blandius resalutatur, pronomen „mi" adiungitur. Curc. 658] frater mi, salve. Cf. Pers. 740, Rud. 1175.

Trin. 1180] salve multum, gnate mi. Ita pater peregre rediens filium magnifice salutat. Quo sensu hoc „multum" omnibus locis adhuc adhibitum est.

Interiectione antecedente animi affectus eius, qui salutem reddit, exprimitur. Merc. 283] euge, Demipho, salveto. Cf. Curc. 234.

Apud Terentium exempla cotidianae resalutandi formulae sunt haec: Phorm. 609] salve, Geta. Hec. 732] salve, Laches. Cf. Adelph. 461, And. 802.

Verbo „mi" vel „mea" adiecto hic quoque blandius resalutatur. Hec. 456] gnate mi, salve. Hec. 353] mea mater, salve.

Interiectione antecedente animi affectus exprimitur. Phorm. 286] oh, bone custos, salve. Cf. Heaut. 406, And. 267, 318.

In comoedia Graeca formulae resalutandi his respondentes non inveniuntur.

§ 3. „et tu salve“ „et tu“.

Legimus Poen. 1076 „et tu salve, Agorastocles.“ Haec est cotidiana resalutandi formula, quae voce „et“ spectat ad salutationem, quae antecedit. Cf. Trin. 49, Cas. 540, Men. 1133, Poen. 1039.

Rud. 416 Sceparnio Ampeliscae, quam aquam petere sacerdos Veneris iussit, magnifice salutem reddit: et tu multum salveto, adulescentula.

Adlocutione omissa comitas, qua resalutatur, imminuitur. Stich. 316] et tu salve. Cf. Most. 569, Mil. 1315, Stich. 90, Truc. 123, Bacch. 1106, Capt. 1009, Rud. 1055, Cist. 724.

Quae resalutatio apud Terentium semel invenitur, quod mirum videtur. Hec. 83] et tu edepol, Syra.

Apud Menandrum quoque exempla legimus:

Γεωργός 41] *ὦ χαῖρε πολλὰ Μυρρίνη. (Μυρρίνη.) πάνυ καὶ σύ γε.*
Κιθαριστής 73] *χαῖρε πάππα φίλτατε. (Γ.) καὶ σύ γε.*

Kock, com. Att. frg. III, p. 96, 329] *χαῖρ', ὦ Γλυκέριον. Γλ. καὶ σύ.*

Denique etiam Aristophanes exempla huius resalutandi formulae praebet: Ran. 164] *νὴ Δία καὶ σύ γε ὑγίαινε.*

Adlocutione adiuncta blandius resalutatur Lysistr. 6] *καὶ σύ γ' ὦ Λυσιστράτη.* Eccl. 477] *καὶ σύ γ' ὦ Χρέμης.*

Ita hanc formulam apud Graecos quoque saepe adhiberi videmus.

§ 4. „di te ament“ cum adlocutione coniunctum.

Iamiam accedamus ad formulas natura inter se similes „di te ament“ „di dent quae velis“. Quarum usum et vim si ex locis quos afferemus bene cognoverimus, addendum erit, quod de earum origine concludi potest. Primum igitur interpretemur.

Most. 1128] Callid ... iubeo te salvere et salvos cum advenis, Theopropides, peregre, gaudeo. hic apud nos hodie cenes, sic face. Th. Callidamates, dei te ament. de cena facio gratiam.

Callidamates ex animo salutat Theopropidem redeuntem eumque ad cenam vocat. Qui salutem reddit „Callidamates, dei te ament“ atque pro cena gratias agit. Fieri non potest, quin ex hoc conexu nobis cum blandissima resalutandi formula rem esse concludamus.

Pseud. 1293] Ps. Vir malus viro optumo obviam it. Sim. Di te ament, Pseudole.

Hic quoque erum servo, qui potus et coronatus se ab inimico victoriam reportasse gaudet, ex animo salutem reddere apparet.

„Di te ament“ cum adlocutione coniunctum blandissimo sensu adhiberi solet. Quod patebit inspicienti locos hos: Aul. 183, Poen. 751, Bacch. 457. Capt. 138 formulam „di te bene ament, Hegio“ voce „bene“ addita aliis blandiorem esse consentaneum est. Men. 278 loco adlocutionis legitur „quisquis es“.

Restat, ut de his locis dicam:

Poen. 858] Mil. Salvos sis, Synceraste. Sync. O Milphio, di omnes deaeque ament ... Mil. Quemnam hominem? Sync. Nec te nec me. Milphio, neque erum meum adeo. Mil. Quem ament igitur? Sync. Aliquem, dignus qui siet. nam nostrorum nemo dignust.

Syncerastus resalutat: „o Milphio, di omnes deaeque ament . . .“ Mirum est deas quoque commemorari, quod fieri non solet. Moram facit dicendi, ubi vocem „ament“ pronuntiavit. Cum quem ament non dicat, Milphio quaerit: „Quemnam hominem?“ Syncerastus tantum abest, ut illud „te“, quod deerat, adiungat, ut verbis pergat, quibus facetiarum aliquid inest.

Pers. 204] Soph. Paegnium, deliciae pueri, salve. quid agis? ut vales? Paeg. Sophoclidisca, di me amabunt. Soph. Quid me? Paeg. Utrum hercle di volent; sed si ut digna es faciant, odio hercle habeant et faciant male.

Nos exspectamus „Sophoclidisca, di te amabunt“. Sed, cum Paegnium respondeat „Sophoclidisca, di me amabunt“, hic quoque formula resalutandi in facetum dictum mutatur.

Aliquid novum praebent hi loci: Most. 717] Tr. di te ament plurimum, Simo. Si. Salvos sis, Tranio.

Pers. 16] Tox. O Sagaristio, di ament te. Sag. O Toxile, dabunt di quae exoptes.

Negari nequit his locis formula nostra salutari, non resalutari. Quod maxime mirum est. Sed videmus usum Plautinum hic etiam liberum esse. In universum hoc tamen tenendum est

hanc resalutandi esse formulam. Quod quomodo explicandum sit, in fine sextae paragraphi dicendum erit.

Quae resalutatio et apud Terentium et apud Menandrum desideratur.

§ 5. „di te ament" sine adlocutione adhibitum.

Saepissime quoque verbis „di te ament" solis resalutatur neque adlocutio additur. Nobis nunc quaerendum est, quomodo haec formula adhibeatur, ut deinde videamus, utrum inter hanc et eandem adlocutione auctam aliquid intersit (velut ita ut „salve" cum adlocutione coniunctum a solo „salve" differt) necne.

Most. 805] Si. Salvom te advenisse peregre gaudeo, Theopropides. Th. Dei te ament. Si. Inspicere te aedis has velle aiebat mihi. Th. Nisi tibi est incommodum. Si. Immo commodum. i intro atque inspice. Th. At enim mulieres — Si. Cave tu ullam flocci faxis mulierem. qua libet perambula aedis oppido tamquam tuas.

Ubique verba summae comitatis leguntur. Praeterea Theopropidi filium a vicino aedes emisse gaviso non est, quod non blande reddat salutem. Itaque ad sententiam adducimur, ut verbis „di te ament" solis quoque blando sensu resalutari putemus.

Idem docent Most. 341, Curc. 455.

Deinde tractemus Pseud. 270] Bal. Compellabo. salve multum, serve Athenis pessume. Ps. Di te deaeque ament vel huius arbitratu vel meo, vel si dignu's alio pacto, neque ament nec faciant bene.

Ballio *παρατραγῳδῶν* salutem dicit „salve multum, serve Athenis pessume". Pseudolus formulam resalutandi in facetum dictum mutat. Ut supra Poen. 859 ita hic quoque deae commemorantur.

Vera atque propria formula est „di te ament". Quae si mutatur vel verbis augetur, facetiarum aliquid inest. Cf. etiam Rud. 1303] di te ament cum inraso capite.

Non dico inter formulam „di te ament" et eandem adlocutione auctam nihil interesse. Quam blandiorem esse quam illam negari nequit. Attamen mirum est inter has formulas tantam differentiam non posse statui quantam inter „salve" cum adlocutione coniunctum et solum „salve". Quod hoc modo explicandum esse censeo: „salve" et „salvos sis" ita erant usu attrita, ut sola sine adlocutione adhibita aliquid incommodum et asperum in se haberent atque, si quis blande resalutare vellet, adlocutionem quoque addi opus esset. Sed formulam „di te ament" semper animo vero et sincero adhiberi ex verbis ipsis cognosci poterat, sive adlocutio adiciebatur sive deerat.

Haec quoque formula Plauti praecipue propria est. Invenitur neque in exemplis Graecis neque apud Terentium.

§ 6. „di dent quae velis."

Pers. 480] Tox. Hunc hominem ego hodie in trasennam doctis deducam dolis, itaque huic insidiae paratae sunt probe. adgrediar virum. quid agis? Dor. Credo. Tox. Unde agis te, Dordale? Dor. Credo tibi. di dent quae velis.

Cum Toxilus Dordalum adloquatur, hic breviter verba eius quasi interrumpens respondet: „credo". Similiter Truc. 504 Stratophanes verba Astaphii interrumpit voce „scio". Toxilo interrogante „unde agis te, Dordale?" hic rursus responsum dat „credo tibi" atque adicit „di dent quae velis". Quoniam illo „credo" aliquid incommodum continetur, verbis „di dent quae velis" quoque similem fortasse ironicum sensum inesse verisimile est.

Stich. 465] Gel . . . o Epignome, ut ego nunc te conspicio libens, ut prae laetitia lacrimae prosiliunt mihi. valuistin usque? Epig. Sustentatumst sedulo. Gel. Propino tibi salutem plenis faucibus. Epig. Bene atque amice dicis. di dent quae velis.

Gelasimus, cum salutet Epignomum, observantia atque laetitia quasi abundat. Etsi hic animo commoveri nequit, tamen ille hac ratione dicere pergit „propino tibi salutem plenis faucibus". Patronus resalutat „bene atque amice dicis. di dent quae velis". Tum demum parasitus quid iam antea comitate sua assequi voluerit libere dicit: „cenem illi apud te, quoniam salvos advenis". Epignomus primum incertis verbis usus modo perspicue loquitur: „quando usus veniet, fiet . . . non edepol possum . . . i modo, alium convivam quaerito tibi in hunc diem". Ita quid hic verbis, quibus resalutat, dicere velit plane apparet. Pro blandissima salutatione gratias agit aequo animo „bene atque amice dicis" atque, cum illum epulari vehementer cupere

iam praesentiat, ironice respondet: „di dent quae velis“ i. e. „a me quae vis non impetrabis. adeas deos tuis precibus“.

Epid. 3] Th. Oh, Epidicumne ego conspicor? Ep. Satis recte oculis uteris. Th. Salve. Ep. Di dent quae velis. venire salvom gaudeo. Th. Quid ceterum? Ep. Quod eo adsolet: cena tibi dabitur. Th. Spondeo. Ep. Quid? Th. Me accepturum, si dabis.

Leonem offendisse videtur, quod Thesprio ad verba „cena tibi dabitur“ respondet „spondeo“. Revera mirum esset, si hic sibi cenam datum iri sponderet. Attamen hunc locum bene traditum esse censeo: Thesprio respondet facete „spondeo“. Quod cum Epidicus intellegere nequeat, quaerit ex eo: „quid?“ Tum demum ille dicere pergit „me accepturum, si dabis“. Quae verba pendent de voce „spondeo“. Quae sola non potest neque vult intellegi. Thesprio alterum se statim intellegere non vult, demum rursus interrogatus ita dicere pergit, ut facetum dictum mente capi possit.

Leoni, qui se acumen non sentire in adnotatione dicit, sic loqui videntur: Th. quid ceterum quod eo adsolet: „cena tibi dabitur“? E. spondeo. Th. quid? E. me accepturum, si dabis.

Haec quoque bene intellegi possunt. Si ita legeremus, Thesprio, ubi verbum „spondeo“ audivit, obstupefactus interrogaret „quid?“ Sed cum id, quod traditum est, bene intellexerimus, non habemus, quod cum Leone mutemus.

Epidicus Thesprionem peregre redeuntem pallio reprehendit, quod hic primum indignatur. Qui cum salutem dicat, ille resalutat: „Di dent quae velis“ et deinde addit: „quod eo adsolet: cena tibi dabitur.“ Quae omnia ab Epidico facete et ironice dicta esse videntur. Ac primum quidem mirum esset, si servus servo cenam daret. Hoc Thesprio quoque bene scit, nam facetis verbis respondet, cum se cenam esse accepturum spondeat. Ita facetum dictum reddit. Quod cum ab Epidico ironice dictum sit, verisimile fit formula „di dent quae velis“ quoque eundem ironicum sensum contineri, quem iam aliis locis invenimus: „di dent quae velis; ego tibi non dabo.“

Nisi his tribus locis haec simplex formula non invenitur. Quam sensu ironico adhiberi vidimus. Sed saepius legimus

apud Plautum formulas, quae ex hac videlicet ortae verbis adiectis auctae sunt. Ad eas iamiam accedamus:

Mil. 1037] Mil. Pulcher, salve. Pyrg. Meum cognomentum commemoravit. di tibi dent quaecumque optes. Milph. Tecum aetatem exigere ut liceat — Pyrg. Nimium optas.

Acroteleutio meretrici persuadetur, ut se amore Pyrgopolynicis ardere simulet. Miles fidem habet Palaestrioni narranti illam lamentari atque cruciari quod amato viro careat. Idem Milphidippam ut quantopere era amore arderet referret missam esse ei nuntiat atque dicit: „At scin quid tu facias? facito fastidi plenum, quasi non lubeat; me inclamato, quia sic te volgo volgem“ (vss. 1034 sqq.). Pyrgopolynices hunc sincere dicere ratus ad ancillae salutationem superbe resalutat eamque repellit his verbis: „nimium optas“. „multae aliae idem istuc cupiunt, quibus copia non est.“ Quae cum ita sint, resalutandi formulae quoque „di tibi dent quaecumque optes“ vis repellendi et aliquid ironicum inesse videtur ita ut hoc fere dicere velit: „di tibi tuas preces expleant.“

Asin. 619] Leon. Ere, salve. sed num fumus est haec mulier quam amplexare? Arg. Quidum? Leon. Quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo rogavi. Arg. Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis. Leon. Equidem hercle nullum perdidi, ideo quia numquam ullum habui. Lib. Philaenium, salve. Phil. Dabunt di quae velitis vobis.

Rursus Cleaereta lena Argyrippum domum intrare vetuit. Ante aedes videmus adulescentem eiusque amatam Philaenium, lenae filiam. Cui Argyrippus valedicit, cum mortem sibi consciscere velit. Subito Libanus et Leonida accedunt. Verba puellae dolentis „dabunt di quae velitis vobis“ hoc fere significant: „Quid vestra salutatio iuvat nos, qui iam periimus? Nihil nobis vobiscum est. Dabunt di quae velitis vobis.“ Itaque haec formula, etsi non incommode dicta est, tamen vim repellendi in se habet.

Poen. 683] Lyc. It ad me lucrum. Coll. Illud quidem quorsum asinus caedit calcibus. Lyc. Blande hominem compellabo. hospes hospitem salutat. salvom te advenire gaudeo. Coll. Multa tibi di dent bona, quom me salvom esse vis.

Agorastocles amata carere coactus Lyconem perdere amatamque liberare studet hoc modo: Collybisco servo trecentos nummos dare vult, ut hic se peregrinum esse simulans apud lenonem devertatur. Paulo post Agorastocles ex hoc quaerere vult, sitne apud eum servus suus cum magna pecunia. Sperat Lyconem Collybiscum peregrinum esse ratum hoc negaturum esse et magna pecunia multatum iri, quoniam servum pecuniamque civis fraude arreptam se habere negavit. Cum persolvere nequeat, omnia bona et amata puella in Agorastoclis manus pervenient. Hoc loco Collybiscus Lyconi appropinquat eique salutem reddit cum dicat: „multa tibi di dent bona, quom me salvom esse vis“. Dubium non est, quin spectet ad id, quod lenoni imminet, atque ironice dicere velit: „Multa tibi di dent bona. Quae ego tibi non dabo. Me salvom esse vis? Utinam tibi timeas!“

Quibus tribus locis haec „maior formula“ (qua voce uti mihi liceat, ut formulas maiores a simplici „di dent quae velis“ bene distinguere possim) ironice adhibetur item atque simplex „di dent quae velis“.

Alio sensu haec „maior formula“ usurpari videtur locis qui sequuntur:

Trin. 435] Phil. Erum atque servom plurumum Philto iubet salvere, Lesbonicum et Stasimum. Lesb. Di duint tibi, Philto, quaequomque optes. quid agit filius?

Philto pro Lysitele filio a Lesbonico sororem eius in matrimonium petit. Pater enim virginis ipse abest. Quoniam Philto magna observantia salutat, Lesbonicus quoque formula voce „tibi“ et adlocutione adiunctis blandissima facta resalutat.

Trin. 1151] Lys. Charmidem socerum suom Lysiteles salutat. Charm. Di dent tibi, Lysiteles, quae velis. Call. Non ego sum salute dignus? Lys. Immo salve, Callicles; hunc priorem aequomst me habere: tunica propior palliost.

Charmides peregre reversus a Callicle Lysitelem a Lesbonico Charmidis filio sororem eius in matrimonium petivisse certior fit. Dum inter se colloquuntur, Lysiteles accedit et senem socerum suum salutat. Qui gavisus consentit filiae matrimonio atque etiam magnam dotem genero dat. Facile cognoscitur Charmidem verbis „di dent tibi, Lysiteles, quae velis“ resalutantem ad futurum matrimonium spectare atque sincero animo idem fere dicere velle, quod Callicles paulo post adiungit: „deos volo consilia vostra vobis recte vortere“.

Non dubium est, quin his duobus locis haec „maior formula“ non ironico, sed sincero sensu adhibeatur.

Itaque hoc tenemus: Plautus simplici „di dent quae velis“ ironice utitur hoc fere sensu: „a me quae vis non impetrabis. di dent quae velis“. Maiores tamen formulae eiusdem modi (ut exemplum afferam: di tibi, Philto, dent, quaecumque optes) liberrime, modo ironico modo sincero sensu usurpari solent. Quae ex simplici „di dent quae velis“ ortae modo naturam atque vim innatam etiam in se habere, modo eam plane perdidisse videntur:

Restat, ut duos locos afferam:

Poen. 1050] Han. O mi hospes, salve multum. nam mihi tuos pater patritus ergo hospes Antidamas fuit. haec mi hospitalis tessera cum illo fuit. Agor. Ergo hic apud me hospitium tibi praebebitur. nam haud repudio hospitium neque Carthaginem, unde sum oriundus. Han. Di dent tibi omnes quae velis.

Agorastocles laetus Hannonem domo recipit. Qui pro hospitio gratias agit, cum dicat: „di dent tibi omnes quae velis“. Qua formula non salus redditur, sed pro beneficio gratiae aguntur.

Item Poen. 667 Lycus non resalutat, sed gratias agit, cum dicat: „Di deaeque vobis multa bona dent, quom mihi et bene praecipitis et bonam praedam datis.“

Hi duo loci veri reddunt simile formulas huius modi primum formulas gratias agendi fuisse. Nam nisi hac re non intellegi potest has postea formulas resalutandi factas esse.

Apud Terentium hoc „di dent quae velis“ non legitur. Ne apud Graecos quidem quidquam invenitur simile.

§ 7. Locorum, quibus duo simul salutantur, interpretatio.

Trin. 435] Phil. Erum atque servom plurumum Philto iubet salvere, Lesbonicum et Stasimum. Lesb. Di duint tibi, Philto, quaequomque optes.

Philto salvere iubet erum et servum. Lesbonicus resalutat, Stasimus salutem reddere omittit.

Cist. 723] Hal. Mi homo et mea mulier, vos saluto. Phan. Et nos te.

Halisca ancilla salutat Lampadionem servum et eram Phanostratam. Vero haec sola resalutat.

Pseud. 453] Ps. Itur ad te, Pseudole. orationem tibi para advorsum senem. erum saluto primum, ut aequomst; postea, si quid superfit, vicinos impertio. Sim. Salve. quid agitur?

Etsi vicinus quoque salutatus est, tamen Simo solus salutem reddit.

Rud. 103] Ples. Pater salveto, amboque adeo. Daem. Salvos sis. Scep. Sed utrum tu masne an femina es, qui illum patrem voces? Ples. Vir sum equidem.

In Leonis editione legimus adnotationem: „utrumque respondere sequens sed docet (Seyffertus).“ Quod Leo immerito probare mihi videtur. Sceparnionis „sed“ enim (vs. 104) nullo modo demonstrat hunc quoque vs. 103 resalutare. Optime fieri potest, ut servus, qui impudenter se gerit, verbo „sed“ incipiens spectet ad eri salutationem „salvos sis“. Praeterea exemplis hac paragrapho allatis multo verisimilius est hic quoque erum resalutare solum.

Quibus ex locis hoc concludi posse censeo: Si erus et servus simul salutantur, ille solus resalutat. Ero vel era praesente servus salutem non reddit. Pseud. 453 Simo maiore auctoritate est quam vicinus Callipho; ideo ille solus resalutat.

Loci, quibus duo simul salutantur, apud Terentium et in comoedia Graeca plane desiderantur.

§ 8. Locorum, quibus salus non redditur, interpretatio.

I.

Most. 447 Tranio servus Theopropidem erum blandissime salutat: „O Theopropides, ere, salve, salvom te advenisse gaudeo. usquin valuisti?“ Qui respondet: „usque ut vides.“ Sed vera qua resalutatur formula desideratur.

Epid. 126 Epidicus servus blande salutem dicit domino peregre redeunti. Vero hic non modo salutem reddere omittit, sed etiam verba illius interrumpit, cum dicat: „tam tibi istuc credo quam mihi.“

Truc. 503 Astaphium salutat Stratophanem: „salve ecastor, Stratophanes. salvom te —“. Hic verba eius interrumpit voce „scio“. Militem non resalutare ancilla non aegre fert. Ne Stratophani quidem est, quod Astaphio irascatur, sed se eam convenire gaudet.

Poen. 1130 erus salutem non reddit neque ancillam suam cognoscere videtur, ut haec ipsa miretur et verba sua interrumpat.

Etiam Merc. 810 erus resalutare omittit.

Quibus locis erus nunquam servo vel ancillae salutem reddit. Neque tamen dominus aspere se gerere vult. Neque unquam servum ero non resalutante offendi videmus. Ita adducimur ad sententiam, ut erum servo vel ancillae salutem non reddere solere censeamus.

II.

Epid. 558 femina offensa salutationem Periphanis non sensu translato (= sei gegrüßt!) sed proprio sensu (= sei gesund!) intellegit et ironice respondet: „Salva sum, quia te esse salvom sentio.“

Ne Curc. 121 quidem resalutatur, quod Leaena vinum appetens salutationem proprie intellegit et facete respondet: „egon salva sim, quae siti sicca sum?“

Similiter res se habet Truc. 260, Pers. 579.

Ita invenimus apud Plautum interdum propterea salutem non reddi, quod is, qui salutatur, salutationem proprie intellegit eodemque sensu respondet.

III.

Stich. 239 Crocotium salutem dicit „Gelasime, salve.“ Hic autem ad adlocutionem „Gelasime“ animum intendit, cum dicat: „non id est nomen mihi.“ Ita salutem reddere omittit, ut facete se gerat.

Aliud exemplum eiusdem modi legitur Cas. 724.

Curc. 392 verbis „unocule, salve“ ita salutatur, ut adlocutio multo magis sonet quam salutatio ipsa. Qua re efficitur, ut alter solam ad adlocutionem animum intendens quaerat: „quaeso, deridesne me?“ et resalutare obliviscatur. Cf. Capt. 1006, Epid. 649, Curc. 641.

Denique is, qui salutem dicit, salutationi interrogationem vel quamlibet sententiam ita adicere potest, ut totum alterius animum ad hanc convertat. Ita hic salutem reddere omittit. Cf. Asin. 620, Curc. 414, Mil. 1384.

Apud Plautum igitur compluribus locis propterea non resalutatur, quod eius, qui salutatur, animus a salutante ipso verbis salutationi adiunctis ad aliam rem convertitur.

IV.

Stich. 327 Panegyris non resalutat, quod Gelasimum fores paene effringere suscenset.

Item Poen. 1307 Antamoenides ira commovetur, ne salutem reddat.

Cas. 969, quo de loco iam fusius diximus, Lysidamus pudore suffusus non resalutat.

Men. 1065 Menaechmus Messenionem blande salutat: „o adulescens, salve, qui me servavisti, quisquis es.“ Vero hic plane obstupefactus est, cum illum insignem Sosiae eri similitudinem prae se ferre videat. Itaque salutem reddere omnino obliviscitur.

Amph. 682 Alcumena maxime obstupescit maritum se salutare, quasi nunc demum redeat ex bello. Illa enim se iam complures noctes cum eo egisse putat, cum Iovem ipsum se fefellisse nesciat. Maritus ei mentis non compos esse videtur. Consentaneum est eam valde obstupefactam non resalutare.

Compluribus locis igitur apud Plautum is, qui salutatur, ira vel pudore vel admiratione, denique animi motu ita tenetur et capitur, ut salutem non reddat.

V.

Salutem non reddi singulari condicione explicatur Men. 910. Quo loco Menaechmus, ut uxorem pellat, se insanire simulat neque medicum resalutat.

Men. 182 Menaechmus ideo salutem non reddere videtur, quod statim puellam amatam osculo salutabit.

VI.

Resalutationem deesse apparet eis locis, quibus non veram atque propriam salutationem invenimus. Velut si quis alterum, cui iam pridem salutem dixit, medio in sermone salutat nomine hospitis vel patroni vel philosophi, alter salutem reddere nequit, quoniam se non vere salutari, sed solum hospitem vel philosophum nominari non ignorat. Itaque resalutatio deest locis his: Poen. 1050, 1158, Most. 746, Men. 1031, Rud. 1003, Trin. 1163.

VII.

Denique in anagnorisi resalutatio desideratur. Poen. 1259 ambae puellae patrem recognoscunt et salutant. Qui cum filias artius complectatur, non resalutat.

Apud Plautum statuimus erum servo salutem non reddere solere. Quod apud Terentium item se habere haec docent exempla: Eun. 977, Adelph. 891.

Apud Terentium quoque interdum propterea non resalutatur, quod eius qui salutatur animus ad aliam rem verbis salutationi adiunctis a salutante ipso convertitur. Cf. Heaut. 429, Eun. 562, 850.

Nonnullis locis apud Plautum is, qui salutatur, adeo animi motu tenetur et capitur, ut salutem non reddat. Cuius rei Terentius haec praebet exempla:

And. 907 Chremes Critonem Athenis esse ita miratur, ut resalutare obliviscatur et quaerat: „quid tu Athenas insolens?“

And. 846 Davus se gaudere simulat, quod Simonem et Chremetem conveniat. Itaque tantum abest, ut salutem reddat, ut, quo melius gaudium necopinatum exprimatur, haec dicat: „ehem Simo, o noster Chremes, omnia adparata iam sunt intus.“

Adelph. 81 Demea, cum Aeschinum fores ecfregisse atque in aedes inruisse alienas, ipsum dominum atque omnem familiam mulcavisse usque ad mortem, eripuisse mulierem, quam amabat, indignetur, fratrem non resalutat.

Apud Menandrum quoque erus servo salutem non reddere solet: *Σαμία* 312 (Körte) Parmenon servus ab ero vocatus salutat: *χαῖρε σύ*. Neque vero dominus resalutat.

Ne *Σαμία* 82 quidem Demeas senex servo salutem reddit.

Resalutatio deest, si eius, qui salutatur, animus ad aliam rem interrogatione salutationi adiuncta a salutante ipso convertitur. Cf. hoc exemplum Graecum: Fabula incerta II 16

(Körte)] (*Γ.*) *χαῖρ', ἀλλὰ τίς ὅδ' ἐστὶ δὴ γλυκύταθ';* (*B.*) *ὁ τῆς νύμφης πατήρ.*

Menandreum quoque exemplum habemus, quo quis adeo animi motu capitur, ut salutem non reddat. *'Επιτρέποντες* 439 Sophrone timet, ne se, cum infans exponeretur, iuvisse appareat. Habrotonon infans monili ornatum gestans manibus ex domo Charisii venit et salutat: *χαῖρε φιλτάτη γύναι, πρόσοψιν δεῦρό μοι τὴν σὴν δίδου. λέγε ποῖ βλέπεις;* Vero Sophrone tristis atque timore territa resalutare omittit.

Caput III.

De formulis salutandi a discedentibus adhibitis.

§ 1. „vale“ „vale atque salve“ „valeas“.

Cotidiana formula valedicendi est simplex „vale“. Cui nequaquam quidquam incommodum inest. Cf. Amph. 1037, Asin. 592, 745, Aul. 175, Rud. 159, 324, Pers. 709, Cas. 216, 547, Mil. 1352, Poen. 808, Merc. 325, Cist. 527, Men. 956, Trin. 198.

Cui simplici „vale“ adlocutionem addi (Bacch. 605 „vale, dentifrangibule“ adlocutio ioci causa adicitur, locis Epid. 492 et Curc. 553 „bellator, vale“ ethos proprium subest) raro invenimus. Quod facile intellegimus. Nos quoque nostra lingua, si abituri cotidiana formula uti neque blandissime neque tamen incommode valedicere volumus, formulae valedicendi adlocutionem adiungere saepe omittimus.

Si quis blandius valedicere vult, verbo „vale“ adicit „bene“. Cf. Merc. 496, 1025, Mil. 1361, 1373, Truc. 751, Epid. 647, Curc. 214, 516, Stich. 143, 397, Cist. 197, Asin. 606.

Comitas augetur adlocutione addita. Cf. Amph. 499, Truc. 881, 968, Merc. 866.

Etiam blandius valedicitur voce „mi“ vel „mea“ adlocutioni insuper adiuncta: Cist. 112] Gymnasium mea, bene vale. Curc. 203] bene vale, ocule mi. Similiter Pers. 857.

„Multum vale“ non invenitur nisi Stich. 496. Quo de loco infra accuratius agendum erit. Gelasimum parasitum se ad cenam vocatum iri sperantem patronus repellit vss. 486 sqq.

Haud aequum esse eum inter oratores accipi (vs. 494). Erus ironice valedicit: cras de reliquiis nos volo — multum vale.

„Vale atque salve“ legitur his locis: Curc. 522, 588, Cist. 116, Capt. 744. In universum dicendum est hanc familiarem esse salutationem ita ut nostrum „lebe wohl und bleibe gesund!“ Hanc tamen ironico quoque sensu adhiberi posse docet Curc. 588.

Restat, ut de verbo „valeas“ dicamus. Quaeramus primum eos locos, quibus hoc cum aliis verbis coniungitur vel de aliis pendet.

Poen. 911] Sync. numquid aliud me morare, Milphio? Mil. Valeas beneque ut tibi sit.

Truc. 432] Din. Num quippiam aliud me vis? Phron. Ut quando otium tibi sit ad me revisas et valeas.

Quibus locis blande valedici verbis cum hoc „valeas“ coniunctis demonstratur.

Similiter res se habet Cist. 118] Lena. Istoc ergo auris graviter obtundo tuas, ne quem ames. abi intro. Gymn. Numquid me vis? Lena. Ut valeas.

Lena Gymnasium admonet, ne quem serio amet. Verba „ut valeas“, cum pendeant de filiae interrogatione „numquid me vis?“, nihil aliud atque simplex „vale“ significant.

Nunc videamus, quo sensu illud „valeas“ cum nullo alio verbo conexum adhibeatur.

Stich. 477] Epig. I modo, alium convivam quaerito tibi in hunc diem. Gel. Quin tu promittis? Epig. Non graver, si possiem. Gel. Unum quidem hercle certo promitto tibi: libens accipiam certo, si promiseris. Ep. Valeas.

De hoc loco iam supra fusius disputavimus. Vide Cap. II § 6. Parasitus quid petat dicere non desistit, cum ex patroni verbis facetis hunc se nondum bene intellexisse falso concludat. Sed mox hic perspicue dicit: „quando usus veniet, fiet . . . non edepol possum . . . i modo, alium convivam quaerito tibi in hunc diem . . . non graver, si possiem . . . valeas.“ Dubium non est, quin in hoc conexu hoc „valeas“ quoque vim repellendi in se habeat et bene quadret ad illud ironicum „dident quae velis“ (vs. 469).

Pers. 221] Paeg. Quid ais? Certumnest celare, quo iter facias, pessuma? Soph. Offirmastin occultare quo te immittas, pessume? Paeg. Par pari respondes dicto. abi iam, quando ita certa res. nihili facio scire. valeas.

Hic apparet voce „valeas“ fere idem latere atque verbis „abi iam“. „Valeas“ hoc loco significare videtur: „nil moror. aufer te cito ex oculis meis.“

Cist. 449] Sel. Molestus es. Alc. Meae issula sua aedes egent. ad me sine ducam. Sel. Aufer manum. Alc. Germana mea sororcula. Sel. Repudio te fraterculum. Alc. Tum tu igitur, mea matercula. Mel. Repudio te fraterculum. Alc. Opsecro te. Sel. Valeas. Alc. Ut sinas. Sel. Nil moror.

Selenium hic in Alcesimarchum aspere se gerit eumque repellit, cum dicat: „molestus es ... aufer manum ... repudio te fraterculum ... valeas ... nil moror.“ „Valeas“ bene hunc in conexum quadrare et fere idem atque „aufer te hinc“ significare videtur.

Ita invenimus apud Plautum „valeas“ cum aliis verbis coniunctum idem significare ac tantumdem valere atque „vale“, tamen „valeas“ solum neque cum alio verbo conexum vim repellendi in se habere. Quod qui adhibet, dicere vult sua alterum etiam diutius adesse nihil interesse atque huic suadet, ut quam celerrime hinc se auferat.

Cotidianum „vale“ sine adlocutione adhibitum apud Terentium invenitur Hec. 197, Phorm. 533, And. 374.

Salutatio voce „bene“ blandior facta apud eundem legitur Heaut. 167.

Blandissima adlocutione addita comitas etiam multo augetur Eun. 190] mea Thais, vale.

Interiectione insuper antecedente animi affectus exprimitur. Cf. Phorm. 882] O mi Phormio, vale.

Apud Menandrum nullam formulam invenimus nisi hanc: *Γεωργός* 84] *ἔρρωσο πολλά*. Quod respondet Plautino „multum vale.“

§ 2. „saluto“.

Mil. 1339] Pal. Etiam nunc saluto te, Lar familiaris, prius quam eo.

Quae formula a discedente sollemniter adhibetur.

§ 3. „bene sit tibi!“ „bene ambula!“

„Bene sit tibi“ apud Plautum invenitur Merc. 327, Pers. 735. Ita ex animo valedici ex verbis ipsis apparet. Quam salutationem adlocutione adposita etiam blandiorem fieri consentaneum est: Pseud. 714] bene sit tibi, Charine.

Quae formula apud Terentium semel legitur: Phorm. 151. Apud Graecos tamen desideratur.

Eodem sensu sunt usurpatae formulae „bene ambula“ „bene ambulato“. Cf. Capt. 452, Cas. 526, Epid. 377, Pers. 50, Asin. 108.

Denique blandissime valedicitur, si eadem verba in hoc conexu inveniuntur: Capt. 900] bene ambula et redambula. Mil. 936] bene ambula, bene rem geras. Most. 853] fecisti commode, bene ambula.

Formula similis apud Terentium non legitur. Attamen has Aristophanis nominare possumus: Pax 719] *χαίρων ἄπιθι καὶ μέμνησό μου.* Acharn. 1143] *ἴτε δὴ χαίροντες ἐπὶ στρατιάν.* Equit. 498] *ἀλλ' ἴθι χαίρων.* Vesp. 1009] *ἀλλ' ἴτε χαίροντες ὅποι βούλεσθ'.*

§ 4. „numquid vis?“ „numquid me vis?“ „numquid aliud?“

„Numquid vis?“ ab abituro adhiberi solet. Neque vero ipsa formula valedicendi est. Nam vera salutatio discedentis eiusque, qui resalutat, demum sequitur. Cf. Cist. 119] Gymn. Numquid me vis? Lena. Ut valeas. Gymn. Vale. —

Is igitur, qui abit, verbis „numquid vis?“ exprimere vult se nunc discedere. Quod alter statim recte intellegit. Cf. Pers. 692] Sag. Numquid ceterum me voltis? Tox. Quid tam properas?

Formula nostra interrogatur, num alter etiam aliquid dicere velit. Itaque hic respondens etiam de aliqua re admonere potest. Cf. Bacch. 757] Pist. Numquid aliud? Chrys. Hoc, atque etiam: ubi erit accubitum semel, ne quoquam exsurgatis, donec a me erit signum datum. Mil. 1195] Pleus. Numquid aliud? Pal. Haec ut memineris. Item Capt. 191, 448, Most. 404, Men. 548, Mil. 575, 1085, Trin. 192.

Cum is, qui discedit, verbis „numquid vis“ utatur, iam exspectat alterum, nisi quid addit, vale dicturum esse. Hoc quo-

que plerumque fieri solet. Cf. Aul. 175] E. num quid vis? M. Vale. E. Et tu, frater. Curc. 516] Curc. Lyco, numquid vis? Ly. Bene vale. Curc. Vale. Item Pers. 709, 735, Truc. 432, 883, Curc. 522, Aul. 263, Merc. 325. Formulam similem invenimus Poen. 911] Sync. numquid aliud me morare, Milphio? Mil. Valeas beneque ut tibi sit.

Pro „vale" etiam aliis blandis verbis responderi potest. Cf. Amph. 542] Iupp. Numquid vis? A. Ut quom absim me ames, me tuam te absente tamen.

Minus blande respondetur, si pro salutatione adhibetur „ut abeas". Mil. 259] Per. numquid aliud? Pal. Intro ut abeas. Per. Abeo. Cf. Pseud. 665, Bacch. 604.

Denique etiam incommodum et asperum responsum dari potest. Cf. Epid. 512] Fid. numquid me vis ceterum? Per. Malo cruciatu ut pereas atque abeas cito. Men. 328] Cyl. numquid vis? Men. Ut eas maximam malam crucem.

Terentius formula nostra item utitur atque Plautus. Eun. 363 Chaerea ex Parmenonis verbis „num quid me aliud?" hunc abire velle statim concludit et quaerit „quo nunc is?" Phorm. 151 Geta valedicit, ubi Davus formulam illam pronuntiavit. Adelph. 432 Demea ut multis locis Plautinis quid velit etiam incommode dicit: „mentem vobis meliorem dari". Ironice respondetur Phorm. 458] He. Num quid nos vis? De. Fecistis probe: Incertior sum multo quam dudum.

Formula, quae cum hoc „numquid vis?" conferri possit, in comoedia Graeca desideratur.

Caput IV.

De formulis resalutandi a discedentibus adhibitis.

§ 1. „et tu vale" „et tu".

Cotidiana formula est „et tu vale" „et tu". Cf. Poen. 808, Pers. 709. Quae salutatio blandior fit voce „bene" vel adlocutione addita. Cf. Mil. 1352, 1361, Aul. 176.

Usitatum „et tu" invenimus apud Terentium Heaut. 167. Salutatio adlocutione blandior facta legitur Eun. 190, Hec. 197.

Huic „et tu" respondet illud Menandreum „καὶ σύ". Cf. Γεωργός 84.

§ 2. „vale" „valeas".

Altera cotidiana formula est simplex „vale". Cf. Cist. 119, Merc. 497, Truc. 433, Curc. 516, Rud. 324, Poen. 913. Hic quoque blandiore sensu adhibetur „bene vale". Cf. Capt. 452, Merc. 327. Cas. 216 invenitur „valeas", quod a resalutante adhibitum idem significat atque „vale".

Apud Terentium legimus Phorm. 883] vale, Antipho. Quod blandius est quam simplex „vale". Apud Menandrum exempla desunt.

§ 3. Locorum, quibus a discedente non resalutatur, tractatio.

Duabus, quae antecedunt, paragraphis omnes protulimus locos, quibus ad formulam valedicendi resalutatur. Qui, quantum videmus, perpauci sunt. Plurimis igitur locis resalutatio deest. Sunt enim hi: Asin. 109, 592, 606, Curc. 206, 214, 554, Stich. 144, 397, 482, 497, Pseud. 715, Truc. 751, Amph. 502, 1039, Cas. 527, 549, Pers. 50, 224, 736, Cist. 453, 528, Rud. 159. Epid. 377, 493, 648, Mil. 936, 1373, Most. 853, Trin. 198, Capt. 900, Men. 956, Aul. 264.

Salutem non reddi nonnullis locis bene intellegi potest:

Curc. 554 et Asin. 592 alter verbum „vale" proprie intellegit eodemque sensu respondet neque resalutat. Curc. 206, Pseud. 715, Stich. 144 alterum salutem non reddere censeo, quod animus eius ad aliam rem verbis salutationi appositis convertitur. Truc. 751, Amph. 502, 1038, Stich. 397, Asin. 606 alter non resalutare videtur, cum abeuntem iam discedere nolit eumque retinere velit. Vel alter salutem reddere omittit, quod iratus est. Cf. Stich. 497. Supra vidimus verbum „valeas" vim repellendi in se habere, si solum legitur neque cum aliis verbis coniungitur. Itaque Stich. 482, Pers. 224, Cist. 453 non resalutari non miramur.

Attamen restant plurimi loci, quibus cur resalutatio desideretur difficile explicari potest. Accedunt quoque loci Terentiani Phorm. 152, 533, And. 374. Alterum semper incommode se gerere velle nemo putabit. Mihi quidem verisimillimum videtur multis locis manus nutu breviter salutem reddi, etsi argumentis demonstrari nequit. Nam ex imaginibus, quas habemus, Terentianis quidquam concludere frustra studui. Exempla Menandrea, quibus non resalutatur, non inveni.

Caput V.

De salutantium gestibus.

Denique quaerere operae pretium videtur, quibus locis salutantes dextras iunxerint, se complexi sint vel oscula sibi dederint. Sed perpauci loci sunt, qui aliquid de gestibus produnt.

Ac primum quidem certum est eos, qui se recognoscunt, non solum dextras iungere, sed etiam se complecti solere. De scenis recognitionis mutuae Plautinis supra iam egimus. Hic nostra nihil interest nisi eos invenire versus, quibus complexu salutari apparet.

Poen. 1259] Agor. . . date manus. Ad. Salve, insperate nobis pater, te complecti nos sine. . . Ant. Amplectamur ambae. Agor. Quis me amplectetur postea? . . . . Quaeso, qui lubet tam diu tenere collum? omitte saltem tu altera.

Men. 1124] Sos. Signa adgnovi, contineri quin complectar non queo.

Rud. 1172] Daem. Ea est profecto. contineri quin complectar non queo . . . ut te amplector libens.

Ex versibus Truc. 126 (valeo et validum teneo), Curc. 307 (cedo tuam mi dexteram), Heaut. 407 (teneone te, Antiphila, maxume animo exoptatam meo?) peregre redeunti, quem singulari formula „salvom te venire gaudeo" blandius salutari supra exposuimus, dextram porrigi solere conici potest.

Deinde hos consideremus locos:

Stich. 91] Sor. Osculum — Ant. Sat est osculi mihi vostri.

Cum mariti filiarum patris iam multos annos absint, hic ambas rursus nubere cupit. Vero filiae maritis fideles manere volunt. Quoniam ne pater se obsequi cogat timent, irascentem student placare et osculantur.

Epid. 559] Per. Cedo manum. Phil. Accipe. aerumnosam et miseriarum compotem mulierem retines.

Periphanes, qui Philippam placare et sibi reconciliare vult, huic manum porrigit.

Most. 719] Si. Quid agis? Tr. Hominem optumum teneo.

Tranio servus Simonem, ut hic Theopropidem aedes inspicere sinat, blandissime salutat eiusque manum comprehendit.

Cas. 229] Lys. Uxor mea meaque amoenitas, quid tu agis? C. Abi atque abstine manum.

Lysidamus perfidus cum se uxorem amare simulet eamque decipere velit, eam complectitur vel ei manum porrigit.

Men. 138] Men. Quid agis? Pen. Teneo dextera genium meum.

Peniculus, ne cibo careat, timet. Itaque patronum sibi conciliare vult eiusque manum, cum salutet, comprehendit.

Quibus locis alter alteri dextra data blandius salutem dicere vult. Ita ex perpaucis locis, qui de gestibus aliquid produnt, hoc tamen concludere possumus hominem recognitum complexu teneri, peregre redeunti dextram porrigi, denique ideo manum offerri solere, ut salutatio blandior fiat.

Gestus quoniam tam raro commemoratur, etiam rarus videtur fuisse. Accedit quod Servius adnotat ad Aen. I 408: Cur Dextrae Iungere Dextram] maiorum enim haec fuerat salutatio, cuius rei αἴτιον, id est causam Varro, Callimachum secutus, exposuit, adserens omnem eorum honorem dexterarum constitisse virtute. ob quam rem hac se venerabantur corporis parte.

Quibus ex Servii verbis sequitur, ut haec maiorum salutatio postea hac ratione in usu esse desierit. Quod ni factum esset, Servius hunc locum non ita interpretatus esset. Ita etiam facilius adducimur, ut gestum apud Plautum Terentiumque rarum fuisse credamus.

Hor. sat. I 9, 3 accurrit quidam poetae nomine tantum notus eiusque manum arripit salutans: „quid agis, dulcissime rerum?“ Quem locum si bene consideramus, conicere possumus ut dextrae dextra iungeretur non morem fuisse nisi in familiari usu et consuetudine.

Caput VI.

Locorum, quibus salutatio desideratur, tractatio.

Vidimus apud Plautum saepissime salutari ita ut summo iure dicere possimus apud eundem morem esse, ut inter se salutem dicant ii, qui se conveniunt. Tamen multis quoque locis salutatio deest. Quod quomodo explicari possit, nunc quaeramus. Ut nonnulla afferamus exempla, Pseudolum excutiamus.

Vs. 380 Ballio non valedicit. Aegre enim fert non solum, quod negoti nunc plenus tam diu a Calidoro retinetur, vero etiam, quod hic semper pacisci modo scit, sed quod pactus est nunquam scit solvere (cf. vs. 225sq., 376sqq.). Vs. 393 Calidorus, qui ne Phoenicium amatam omnino amittat neve unquam liberare possit valde timet, cura et sollicitudine ita affectus est, ut, cum a Pseudolo dimittatur, valedicere omittat. Salutationem deesse bene intellegimus, si Callipho vs. 560 discedens se semper praesto fore verbis „quin tibi hanc operam dico“ promptissimo promittit animo vel Simo vs. 561 se actutum reversurum pollicetur. Non miramur Harpacem, cum vs. 605 conspiciat Pseudolum, obstupefieri et quaerere „tune es Ballio“ neque statim neque deinde salutare, sed primum exquirere velle, quis sit hic homo iam forma et facie suspectus, qui Subballionem se esse gloriatur. Vs. 758 non valedicitur, quod ei, qui discedunt, quam celerrime mandato perfecto rursus se convenire student. Vs. 912 Pseudolus Simiae socio non salutem dicit, sed, ut inter hos mos est, statim adloquitur: „ehem, te hercle ego circumspectabam.“ Quod proprium est rationis, quae inter hos duos intercedit. Consentaneum est Simiam vs. 967 Ballionem non salutare, sed ut socium atque sui similem adloqui: „heus tu qui cum hirquina barba stas, responde quod rogo.“ Epistula vs. 998 sine salutatione incipit.

Quod explicatur hac re, quod non salutatur, qui hoc honore non dignus videtur. Cf. vs. 1013sq. Vs. 1065 Ballio formula salutandi non utitur, quod laetitia superfluens salutatione sola satisfieri nequit, sed statim manum Simonis comprehendit. Vs. 1143 Harpax Ballionem conspiciens obstupefactus quaerit „tun is es?“ neque salutem dicit.

Quibus locis Plautinis non salutari ita semper singulari condicione et conexu explicari potest.

Nunc quaeramus, quomodo loci Terentiani eiusdem rationis explicandi sint, utrum hic res item se habeat an duo poetae hac re valde inter se differant.

Eun. 86 apparet Thaidem necopinato animadvertentem Phaedriam se hunc hoc loco convenire valde mirari et ideo salutem dicere oblivisci. Etsi Thraso Eun. 455 Thaidem non resalutat, tamen interrogatione respondet, quae pro salutatione adhiberi potest: „O Thais mea, meum savium, quid agitur?“ Quae formula, ut supra vidimus, familiaris etiam blandior facta est adlocutione quam legimus addita. Quibus duobus locis cur non salutaretur bene explicare potuimus. Tamen aliter res se habere videtur Eun. 462. Parmeno vs. 461 dicit se adsimulare velle, quasi nunc demum exeat. Sed hoc etiam melius assequi potuisset, si revera salutasset neque solum interrogavisset: „Ituran, Thaïs, quopiam es?“ Hic igitur non salutari summo iure miramur. Eun. 529 Chremes aegre fert, quod a Thaide tam saepe venire iubetur. Cuius fores cum pulset, Pythias exit atque exclamat: „O capitulum lepidissumum!“ Neque eum solum blande appellat (cf. etiam vs. 535), sed etiam verbis urbane se gerit. Eo magis miramur eam non salutare. Eun. 650 Phaedriam, cum conspiciat Pythiam lamentantem, non salutare, sed obstupefactum quaerere „quid istuc? quid festinas? aut quem quaeris, Pythias?“ non miramur. Eo magis mirum est Heaut. 179 Clitiphontem patrem solis verbis „pater, opportune advenis“ adloqui neque salutem dicere eademque scena patrem abire neque filio valedicere. Vs. 517 salutationem deesse explicari potest hac re, quod servus timens ne senex, quod antea dixit, audiverit perterritus est, ut blande salutare hoc temporis momento non audeat. Tamen valde miramur Sostratam marito salutem non dicere vs. 622. Nunc enim manifestum fit uxorem filiam, quam statim

exponi Chremes olim voluerat, tamen sustulisse. Cum Sostrata ne maritus irascatur seque vituperet timeat, hunc studet placare.

Cum igitur apud Plautum cur non salutetur semper singulari condicione atque conexu explicetur, apud Terentium non salutari saepe miramur. Tenendum est apud hunc multis locis, quibus ille personas salutantes introduceret, salutem non dici. Quod quomodo explicandum sit, statim videbimus.

Conclusio.

Comprehendamus, quibus rebus Plautus et Terentius inter se differant. Cum Plautus verba „iubeo te salvere" ita usurpet, ut nomen iuxta formulam adponat, Terentius pro verbo „te" nomen ipsum inserit. Ita formula Terentiana familiarior esse videtur. Cum apud Plautum ex verbis „salvom te venire gaudeo" formula facta sit, eadem verba apud Terentium proprio sensu intellegi volunt, i. e. alter dicere vult se revera de adventu alterius gaudere. Tertiae personae salutatio, quae apud Plautum tam saepe legitur, apud Terentium semel invenitur. Gravissimum autem est Plautum variis formulis salutandi abundare, Terentium autem multis omnino carere. Hae enim apud hunc plane desiderantur: saluto, valuistin usque, di te ament, di dent quae velis, bene ambula. Deinde vidimus multis locis, quibus Plautus personas salutantes introduceret, apud Terentium salutem non dici. Itaque apud hunc multo rarius salutatur. Denique si consideramus ut apud Terentium ita in Graecis quoque exemplis paucas varias formulas salutandi inveniri et omnino raro salutari, verisimillimum est hanc differentiam inter Terentium et Plautum hac re explicari, quod Plautus exemplaria Graeca libere, Terentius accuratius imitatur. Ambo quidem veterunt Graecos: Sed cum Terentius ad verbum verteret ita, ut pro salutatione Graeca salutationem, quae respondebat, Latinam poneret atque eis locis, quibus in comoedia Graeca non salutabatur, suas quoque personas salutantes non facéret, Plautus liberrime exemplaribus usus non solum salutationes, quas inveniebat, saepe mutavit formulasque proprias suas et magnam salutationum varietatem in comoedias suas intulit, vero etiam multis locis formulas, si deerant in exemplis. ipse adiunxit. Quaerentibus nobis, quae ratio his in rebus inter poetas nostros et morem populi Romani intercedat, non dubium est, quin Terentius usum Graecum, Plautus morem populi Romani secutus sit.

Vita.

Natus sum Curtius Martinus Forberg a. 1889 a. d. IX. Kal. Mai. in vico Saxoniae Wahren iuxta Lipsiam urbem sito. Fidei addictus sum evangelicae. Rudimentis litterarum imbutus ab a. 1899 gymnasium regium Albertinum Lipsiense, cui primum R. Richter, tum Gerth praeerat, frequentavi, ubi vere a. 1908 maturitatis testimonium adeptus sum. Deinde in numerum civium Academiae Lipsiensis referendum me curavi, ut studiis philologis et historicis operam darem. Docuerunt me viri doctissimi Barth, Beloch, Bethe, Brandenburg, Brugmann, M. Heinze †, R. Heinze, Jungmann, Köster, Lamprecht, Lipsius, Martini, Meister, Seeliger, Spranger, Strieder, Studniczka, Volkelt, Wilcken, Witkowski, Wundt. Ad exercitationes historicas me admisit Strieder, ad archaeologicas Studniczka, in seminarium historicum me receperunt Wilcken et Lamprecht, in paedagogicum Jungmann; proseminariis philologis interfui Bethii, Heinzii, Martinii, Meisteri; seminarii philologi regii moderantibus Bethio, Heinzio, Lipsio sodalis fui ordinarius per bina semestria.

Quibus praeceptoribus omnibus gratam servabo memoriam; maximas vero gratias ago Ricardo Heinze, qui in hoc opere perficiendo benignissime consilio auxilioque me adiuvit.